



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ars Bonæ Mortis. Sive: Quotidiana Erga Sanctissimam Dei Matrem Mariam Pietas

Ad omnia quidem utilis. Ad felicem tamen mortem obtinendam utilissima

Hevenesi, Gábor

Coloniæ Agrippinæ, [ca. 1708]

V. Januarii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50961](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50961)

S. Eduardus Angliæ Rex, Danis Angliam vastantibus, MARIAM elegit adjutricem. Et quidni ab illa mereatur exaudiri, qui nihil unquam in ejus nomine petitum se negaturum, ut sanctè proposuit, ita servavit, Virgo simul & Conjux. *Surius in vita.* Chari semper sunt Virgini, quibus chara virginitas est.

S. Rex! vides animam meam gravissimis tot hostium insidiis expositam? foris bella, intus pericula: quæ salvabitur? perit illa, nisi à salutis nostræ Matre adjuvetur. Te proinde per dilectissimæ tibi Matris MARIÆ amorem rogo, tuas meis ad eam precibus junge, ut periclitanti succurrat, roga. O Sanctissima DEI, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, quàm animæ viribus centies millies, imò infinities te saluto: te omni possibili omnium possibilium & actualium creaturarum affectu amare, tibi usque ad ultimum &c. *fol. 2.*

Ad quod impetrandum: Paciscar hodie cum Deipara, ut singuli venæ pulsus totidem mei in eam amoris sint indicia.

Data est tibi Domina omnis potestas in cælo & in terra, ut quidquid volueris, valeas efficere. *S. Anton. Serm. de Conc. B. V.*

Quæstio: An Adamus & Eva sciverint MARIAM futuram DEI Matrem? *v. Segneri Cl. Mar. cap. 4.*

VI. JA.